240.

I. N. I.

DISSERTATIO SOLENNIS MEDICA

DE

CACHEXIA,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

GVILIELMO HENRICO,

DUCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM,

ANGARIÆ, ET WESTPHALIÆ, & reliqua,

PRÆSIDE

IOANNE ADOLPHO WEDELIO,

PHILOS. ET MEDIC. DOCTORE, PROFESSORE

PVBLICO ORDINARIO, MED. PROV. SAXO-VINAR.

AC CIVITATIS IENENSIS PHYSICO,

Patrono, Præceptore, ac Promotore ſuo

Patris loco ſancte colendo

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, INSIGNIA AC PRIVILEGIA DOCTORALIA, MORE VETERVM, RITE CAPESSENDI,

PVBLICÆ PHILIATRORVM DISQVISITIONI SVBIECTA

a

FRIDERICO Schwarz/ Leutkircha Sueuo,

IN AVDITORIO MEDICORVM NOVO,

Horis ante & poſt meridiem conſuetis,

Ad D. MAII, MDCC XV.

1715

IENÆ LITERIS KREBSIANIS.

1715

VIRO

Illustri, Magnifico, Excellentissimo, & Experientissimo,

DOMINO

LVCÆ SCHRÖCKIO,

MED. DOCTORI LONGE CELEBERRIMO, ACADEMIÆ CÆSAREO-LEOPOLDINÆ NATVRÆ CVRIOSORVM PRÆSIDI, COM. PAL. CÆS. NOBILI, REIPVBLICÆ AVGVSTANÆ PHYSICO PRIMARIO,

Patrono meo ac Mæcenati

DISSERTATIONEM HANC SOLENNEM SVMMA QVA DECET ANIMI SVBMISSIONE

D. D. D.

FRIDERICVS Schwarz.

I. N. I.

PRÆFAMEN.

ILiada poſt Homerum canere, tritum eſt prouerbium, imo tritiſſimum, quod plerumque de iis ſolet pronunciari, qui actum agere videntur.

Aſt, cum nulla, ſecundum acutiſſimi Senecæ effatum, in toto terrarum orbe inueniatur res, quæ conſummata dici queat, etiamſi pleraque ſint a veteribus annotata & inuenta, vtile omnino eſt, etiam ea, quæ nota videntur, conſiderationi ſubiicere penitiori, vt & illi melius intelligantur, &, quæ omiſſa reperiuntur, addantur, & omnia clariora euadant.

Cachexia equidem, quæ latiſſime imperium ſuum extendit, ab aliis iam erudite eſt pertractata, hoc

tamen a propoſito, vt diſſertationem ſolennem de ea conſcriberem, me minus deterrere validum fuit, quin ob dictas cauſas ambabus potius manibus hunc laborem ſuſceperim, præſertim cum gratioſiſſimæ facultatis medicæ ſuaſu, quia & ipſe huic morbo per multos annos litaui, ac praxin Platonicam in eo ſum expertus, id fecerim. Deus T. O. M. vt conatibus meis ex alto benedicere velit, ſupplicibus rogo precibus.

Th. I.

PRiusquam ad rem ipſam accedamus, originem vocis cachexiæ paucis delibabimus verbis. Dicitur autem ἀπὸ τῆς κακῆς ἕξεως a malo corporis habitu. Ἕξις, notantibus Gorræo in definit. med. & Foeſio in œconomia Hippocratis, apud Galenum & alios Græcos ſignificat διάθεσιν μόνιμον καὶ δύσλυτον diſpoſitionem ſtabilem & difficulter ſolubilem. Atque hanc ſignificationem ipſe Galenus Lib. περὶ εὐεξίας in principio ad εὐεξίαν & καχεξίαν refert. Idem innuit Aretæus de diuturnis Affect. Lib. I. cap. XVI. vbi cachexiæ opponit εὐεξίαν hominis ad omnia, & ad concoctionem aut ad diſtributionem ſanguinis atque omne naturæ opus, vnde prouenit facilis ſpiratio, robur, bonus color, & primario ſanitas. Per ἕξιν etiam medici intelligunt, αὐτοῦ τοῦ σώματος τὴν κατασκευὴν

ipſi-

ipſius corporis conſtitutionem, per quam vel raro aut denſo corpore, vel gracili aut obeſo, vel aliter quis dicitur, vt Gorræus c. l. vt & Foeſius monent. Vbi Gorræus ſcite addit: verum Galenus ſcribens de his maxime partibus habitum dici, quæ ſunt oculis peruiæ, intellexit procul dubio & alias quasdam particulas eſſe, oculis non obuias, quæ habitus nomine comprehendantur. Eæ nimirum ſunt omnia etiam interna viſcera, cor, pulmones, ventriculus, iecur, lien, renes & reliqua omnia, præter contenta & impetum facientia. Secundam hanc ἕξεως ſignificationem etiam hic locum habere, Aretæi verba oſtendere poſſunt, τίκτεται inquientis, χρόνῳ μακρῷ, καὶ οὐδὲ ἐπὶ μιῇ τοῦ σώματος κακίῃ, καὶ οὐδὲ ἐπὶ σπλάγχνῳ ἑνί. ἀλλὰ γὰρ τῶν ἁπάντων τροπῇ ἐς πονηρόν. Naſcitur longo tempore neque ab vno corporis vitio, nec ab vno viſcere. Sed eſt omnium in deterius conuerſio. Hippocrates eandem cachexiam φλέγμα λευκὸν appellat Lib. de Affectionibus cap. XX vbi text. 8. 9. 10. 11. rationem huius denominationis addit. Celſus ſub tabis ſpeciebus comprehendit cachexiam Lib. III. cap. XXII. vbi per tabem generatim nutritionem vitiatam intelligit, ſiue ſit imminuta, ſiue abolita, ſiue deprauata.

Th. II.

Eſt autem Cachexia nutritio totius corporis deprauata cum habitu eiusdem turgidulo, colore florido deperdito aliisque ſymptomatibus, ab intemperie eius frigida & humida proueniens. Malumus ad nutritionem vitiatam affectum hunc referre, cum hæc tam tumori ali-

quali, quam colori deturpato, reliquisque occasionem præbeat. Deprauata autem dicta est nutritio, quia partim plus, quam fieri debebat, partim humor minus suauis balsamicus, sed iners, aquosus, nimis viscidus & alias vitiatus, apponitur. Habitus turgidulus & floridi coloris amissio tanquam phænomena ordinaria in sensus magis incurrentia vna cum symptomatibus reliquis postmodum recensendis differentiam constituunt specificam, vt & ipsa causa, symptoma hoc actionis læsæ producens, quæ est morbus intemperiei & quidem frigidæ & humidæ.

Th. III.

Subiectum affectus nostri est vniuersus corporis habitus, per quem cum Gorræo ante citato intelligimus omnes corporis partes molles internas & externas, imprimis autem eas, quæ extimum habitum constituunt. In his eminent musculi, quorum, vt & reliquarum, pori principale subiectum existunt. Causæ subiectum sæpe sunt viscera chylificationi & depurationi sanguinis inseruientia, & maxime hepar præ aliis sæpe in culpa esse deprehenditur, quod sub causarum consideratione patebit.

Th. IV.

Causa cachexiæ immediata est intemperies corporis frigida & humida. Hanc vero efficit κρᾶσις sanguinis ita deiecta, vt pars eius sulphurea & balsamica sit depressa & deficiens, serosa autem prædominetur. Adeoque causa mediata proximior est sanguis & serum peccans quantitate, qualitate & motu. Sanguis equidem peccat primo

mo quantitate in defectu, abſumptæ enim & depauperatæ ſunt partes hæ maſſæ ſanguineæ actiuiores. Peccat deinde qualitate, debilior enim & iners magis exiſtit ac depreſſa a reliquis viſcidis, acidis. Peccat tandem motu in defectu, ſpirituoſæ enim partes impellentes, quæ ab illis bene ſe habentibus alias dependent, ſimul deficiunt, vnde impellente deficiente motus quoque remiſſior & tardior eſt. A ſanguine autem ſic conſtituto prouenit intemperies frigida, cum ſanguis fons caloris in corpore humano exiſtere ſoleat. Serum vero peccat quantitate in exceſſu, vt reliquas partes actiuas nimis ſuperet. Vitiatum porro eſt in qualitate, vt vigorem debitum non habeat, & vel tenue nimis, vel lentum & viſcidum magis ſit, ſalibus tartareis deturpatum, eminentibus magis modo acidis, modo lixiuioſis. Deficit tandem etiam in motu ob copiam, lentorem, impellentis defectum. Adeoque emergit ab huius ſtatu intemperies humida. Vt ſic & frigida & humida intemperies in hoc affectu concurrat.

Th. V.

Deficientibus ſic ſpiritibus, & ſanguine ac ſero inhabilibus ad nutritionem redditis, deprauata hæc vt fiat, neceſſe eſt. Circulus enim ſanguinis maxime inæqualis redditur, hinc lympha in poris muſculorum ſtagnat, copioſius apponitur, fibrarum tonum debilitat, &, diſtenſione ob ſtaſin aucta, turgidulum hinc inde reddit corpus, laxitatem membrorum, mollitiem & laſſitudinem inducit. Inæqualitas hæc circuli quoque conſpicitur in locis ſpiritalibus, vbi,

non

non rite rarefacto ſanguine, expanſio pulmonum difficilior redditur, muſculis, ad reſpirationem facientibus, ſimul debilitatis. Color floridus a ſanguine bene conſtituto alias dependens hic quoque deturpatur. Nam iuxta *Coum* noſtrum de Affect. cap. XX t. 10. τὸ αἷμα ὑπὸ πλήθεος τοῦ φλέγματος ὑδαρέστερον γίνεται, καὶ οὐκ ἔνι ὁμοίως ἐν αὐτῷ τὸ εὔχροον καὶ διὰ τοῦτο λευκότεροί τε φαίνονται, καὶ καλέεται ἡ νοῦσος φλέγμα λευκόν. *Sanguis a pituitæ copia aquoſior fit, & non ineſt ſimiliter in ipſo bonus color. Quapropter albidiores apparent & vocatur hic morbus pituita alba.* Qualis enim ſanguis, talis etiam color tranſparet, id quod maxime in facie, hinc & reliquo corpore, conſpicitur. Deturpatio hæc coloris variare quoque ſolet, vt vel ſimul flaueſcat bilioſis recrementis remixtis, vel fuſcedinem ſimul exhibeat, ab iisdem, magis acido iunctis, proueniens, vel fallacem rubedinem oſtendat, quod in alias ſanguineis vel calidioribus & ſcorbuticis contingit, vbi ob ſalia lixiuioſa ſero iuncta partes volatiliores ſanguinis quaſi ſublimantur, & in ſuperficie ſe oſtendunt. Et ſic pulſus, vrinæ, appetitus, reliquorumque mutationes ſponte ex ſanguinis proportione dicto modo vitiata deriuari poſſunt.

Th. VI.

Κρᾶσις hæc ſanguinis vitiata alias cauſas iterum ſupponit, quæ mediatæ remotiores vocari conſueuerunt, & vel naturales, vel nonnaturales, vel præternaturales ſunt, Inter naturales agmen ducit temperamentum phlegmaticum, ſeu frigidum & humidum, quo nullum aptius ad producendum hoc malum exiſtere, exinde patere poteſt,

quod

quod in hoc iamdum ſeroſæ partes reliquas ſuperent & obtundant, vnde facillime harum augmentum fieri poteſt morboſum. Facilem enim eſſe a diſpoſitione ad habitum transgreſſum, non multa eget demonſtratione. Non penitus tamen a labe hac immunes eſſe putamus ſanguineos, cholericos, & melancholicos, quippe & in his temperamentum vitioſe, quanquam non tam promte, mutari poteſt, vt idem ſtatus conſurgat. Ætas huic malo maxime obnoxia eſt declinans, ob temperamentum frigidum & ſerum vappescens. Similiter & puerilis ob humidi abundantiam facile in hunc affectum incidere poteſt. Media vero in vigore conſtituta rarius, ſaltim non tam facile, ita corripitur, niſi enormiores errores alii committantur. Sexum ſequiorem ad hunc affectum procliuiorem eſſe, exinde conſtat, quod reſpectu melioris frigidior humidiorue ordinarie ſit, & ſic quoque humorum vitalium κρᾶσις propius ad vitioſam hanc ſanguinis proportionem accedat. Habitus corporis obeſus diſpoſitionem haud exiguam ad cachexiam obtinet, ob vaſa minora & ſerum magis exſuperans, vnde hi ſuſpecta omnino habere debent bona ſua, ne ſub obeſitatis ſpecie fallantur a cachexia. Hæreditaria diſpoſitio, humorum vitalium primum fundamentum ponens, proportioni eiusmodi initium non raro præbet. Vnde a cachecticis procreati magis ad cachexiam ſunt diſpoſiti, quo de vid. Syluius Praxi. Med. Append. tract. V, de Cachexia p. 705.

Th. VII.

Conſideratis cauſis huius affectus naturalibus, ſequun-

quuntur nonnaturales medicis dictæ, quæ vna cum naturalibus, vel etiam solæ, vitiosam talem κρᾶσιν sanguini conciliare valent. Aer enim frigidior & humidior existens motum humorum retardando, poros occludendo, & imminutionem seri superflui prohibendo, partes sanguinis actiuas deprimit, earum productionem impedit, serosarum vero, viscidarum & recrementitiarum augmentum promouet, coagulumque sero, ad hoc iam inclinante, magis inducit. Hanc ob causam quoque tempore anni frigidiore, hieme, & autumno, initium sumere solet. Haud parum productionem huius mali iuuat aeris inæqualitas, si aerem feruidiorem valde frigidus statim excipiat, dum ille viscidum serum nimis fundens efficit, vt per totum corpus distribuatur & circuletur, hic vero coagulum iterum inducit, &, vt subsistat in partibus, præstat. Perinde autem est, vnde aer frigidus & humidus reddatur, siue eius temperies talis fiat a ventis, quod transitorium magis est, siue in locis vliginosis & palustribus constanter exhalationes eiusmodi suscipiat, quod indigenum & constans est in talibus habitaculis.

Th. VIII.

Non minus alimenta substantificum corporis nectar alias restaurantia, etiam hic valetudini hominis insidias struunt, inconcinne adhibita. Noxam vero talem inducunt, si peccent vel quantitate vel qualitate. Quantitas alimentorum solidorum nimia, siue simul & semel, siue crebrius quam par est in ἀδδηφαγία ingeratur, cruditates viscidas lentas producit, non enim euolui rite & digeri maior

maior quantitas ingesta potest, cum & ventriculi menstruum tunc non sufficiat, nec calor eam subigere possit. Vnde optimi quoque cibi in voracitate nimia cachexiam post se trahunt, multo magis autem si & qualitate vitiosa sint præditi. Magis adhuc & frequentius cachexiam inuitat potus nimius quicunque. Aqua ipsa nimis copiose hausta, serum nimis augendo, & iners reddendo, ventriculumque debilitando, id præstat. Vnde & decocti herbæ Thee, aliorumque similium, nimius vsus cachexiam facit, quod & de acidulis maiori quantitate haustis valet. Reliqui liquores potulenti magis vel minus spirituosi idem faciunt, & temperatiores quidem partim humidum nimis augendo, partim volatiliores & fluxiliores seri partes nimis dissipando, & sic serum viscidum & intemperatum reddendo, vnde subsistit, accumulatur, & iners redditur. Spirituosiores vero, vt ipse spiritus vini largius assumptus, intemperatam maxime & ad circulationem ineptam reddunt lympham, fugatis & absumptis particulis volatilioribus & fluxilioribus, relictis & accumulatis viscidioribus, lentis, ac torpidis. Neque alterum extremum in quantitate alimentorum innoxium est, nam ipsa inedia humores torpidiores reddit, vt recrementa magis coaceruentur, potissimum vero abstinentia a potu sufficienti reddit serum viscidum stagnans & torpidum.

Th. IX.

Qualitate vitiosi cibi, balsamicam sanguinis partem deprimentes, sunt viscidi, acidi, saliti, fumo indurati, panis recens, non fermentatus, lacticinia, dulcia, quæ in

ſubiectis eiusmodi, aliqualem diſpoſitionem habentibus, non ſolum in ſe κρᾶσιν ſanguinis deiiciunt, ſed & obſtructiones viſcerum inducunt, idem malum promouentes. Fluidorum alimentorum qualitas vitioſa ex ante dictis conſtare poteſt, quæ enim plane nullas partes ſpirituoſas in ſe continent, debiliora ſunt, & partes actiuas facilius obtundunt ac debilitant, quæ vero nimis ſpirituoſa ſunt, vitioſa rarefactione etiam hic nocent, imprimis ſi quantitas accedat maior. Non omittenda etiam eſt inconcinna adhibitio potus frigidi, qui, corpori a motu incaleſcenti ingeſtus, idem & potentius præſtat, quod de aeris ſimili inæqualitate ſuperius fuit tactum.

Th. X.

Motus corporis immodicus ſi exiſtit, ſpiritus exhaurit, ſerum fluxile diſſipat, viſcidum auget, ſicque corpus refrigerat, coctiones debilitat, cruditates producit, & intemperiem frigidam & humidam inducit. Quies vero nimia excernenda retinet, pituita corpus implet, ſpiritus torpidos & inertes reddit, ſicque viam ad hoc malum parat, de hac Poeta cecinit:

Cernis vt ignauum corrumpant otia corpus,
Vt vitium capiant, ni moueantur aquæ.

Somnus nimius & quies nimia maximam partem inter ſe conueniunt, vnde & iamdudum magnus *Hippocrates*, *lib. de flatibus cap. XX. t. 9.* φύσει, inquit πέφυκεν ὁ ὕπνος ψύχειν. ψυχθέντος δὲ τοῦ αἵματος, νωθρότεραι γίνονται αἱ διέξοδοι. *A natura ſomno frigefaciendi vis eſt: ſanguine autem infrigidato languidiores eius fiunt meatus.* Vigiliæ

liæ nimis protractæ, vt & lucubrationes eruditorum, insigniter huic morbo fauent, spiritus enim animales admodum depauperantur, vnde vigorem suum amittunt humores vitales, vt pars balsamica deficiat, serosa vero excrementitia augeatur.

Th. XI.

Euacuationes consuetæ si cessent, recrementitiæ illæ partes remanentes sanguinem reddunt impuriorem, & proportionem hanc vitiosam adferunt, vnde sudoris seu transpirationis insensibilis retardatio, vrinæ suppressio, alui constipatio, mensium obstructio diuturna, a qua si malum hoc inducatur, speciatim *Chlorosis* vocatur, hæmorrhoidum fluxus impeditus, cachexiam post se trahunt. Maxime sanguinis imminutio nimia id præstat, siue per menses nimios, siue per venæsectionem crebriorem, siue alio modo fiat. Sic etiam alui excretiones in culpa sæpe sunt, vt dysenteria, vbi & sanguis ipse copiosior exit, diarrhoea longior, vel quoque a purgantibus, nimis frequenter & diu adhibitis, excitatæ. Per hanc enim viam bilis, balsamum sanguinis existens, nimis educitur. Reliquarum excretionum noxæ huc facientes pluribus apud *Syluium* Prax. Med. Appendic. Tract. V. videri possunt. Animi pathemata ea, quæ spiritus concentrant, deprimunt & debilitant, vt tristitia & moeror, sanguinis partes oleosas balsamicas volatiles imminuunt, & humores vitales inertes reddunt, adeoque ad cachexiam disponunt.

Th. XII.

Nec ex præternaturalibus desunt rebus, quæ similem

labem humorum vitalium poſt ſe relinquunt. Morbi enim intemperiei vniuerſalis calidæ, febres, abſumendo, & diſſlando nimis partes balſamicas eundem ſtatum adferunt, & ſibi contrariam intemperiem efficiunt per accidens. Continuæ equidem ardentes haud ita crebro, frequentius intermittentes & chronicæ, potiſſimum quartana, ita ſe gerere videntur. Intemperies particularis frigida ventriculi, & viſcerum ſanguinem depurantium, vt & horum debilitas, obſtructio, corruptio, & ſcirrhus, recrementa augendo, balſamicas volatiles deprimendo, & depauperando, ſanguinem totum ita vitioſum reddere valent, quanquam etiam ſanguinis hoc vitium, ab aliis dictis cauſis inductum, viſceribus recenſita mala inferre queat inuerſo modo. Præ aliis viſceribus ſæpius hepar affectum deprehenditur, cum in hoc & bilis & ſerum ſeparetur. Bilis autem a balſamica ſua conſtitutione recedens inepta redditur, ne ad chylificationem ſuum tribuere poſſit ſymbolum, hinc balſamicæ chyli partes ex ingeſtis minus euoluuntur, adeoque minuuntur ſic in ſanguine. Minus autem humorem excrementitium mere inutilem eſſe bilem, vt quidam volunt, vel ipſe locus, vbi ad inteſtinorum cauitatem peruenit, oſtendere poteſt. Quod ſi enim chylo nullam præſtaret vtilitatem, inutiliter per totum inteſtinorum canalem chymo permiſceretur, imo noxam afferret, cum inutile ſeparatum denuo vtilibus confunderetur, quod nunquam fieri poteſt, cum fruſtraneum eſſet, & æque facile ductus choledochus potuiſſet inteſtino colo, vbi recrementa ciborum tantum continentur, inſeri, ſi bilis tanquam inutilis humor excretioni & eli-

mi-

minationi e corpore humano vnice esset destinata. Serum vero etiam hic, quod copiosissime separatur, vitia superius dicta suscipere sæpe solet. Symptomata excretorum superius fuere commemorata, quibus addi reliqua facile possunt eodem modo sanguinem afficientia. Maxime vero mentionem facere debemus, mali hypochondriaci atque scorbuti, quæ cachexiam sæpissime fouent, & scorbutus inprimis coniunctus peculiarem quasi speciem eius constituit, vnde *cachexia scorbutica* appellatur. Possunt etiam commode huc referri, quæ in sexu sequiori inconcinne ingeruntur, vt cutis maior obineatur pulchritudo, vt creta, argilla, amylum aliaque huius generis, quæ tamen potius efficiunt, vt sanus floridusque color, a sanitate alias proueniens, reddatur pallidus & obsoletus, qui de cachexia magis testatur.

Th. XIII.

Differentias cachexia suscipit varias, quarum præcipuas commemorabimus. Gradus ratione alia est incipiens, alia confirmata, ibi minor hic maior & constans recessus a statu naturali factus est, vnde tumor harum illarumue partium constans in hac magis videtur. De Chlorosi & cachexia scorbutica superius sub causis iam diximus, quæ hic repetere vix opus est. Coloris in cachexia occurrentis diuersitatem Thes. V. adduximus, a qua cachexia iuxta quosdam vel alba, vel citrina, vel lienaris, vel sanguinea vocari solet. Ratione symptomatum signorum vicem subeuntium alia est latens magis, & insidiose accedens, in qua circa habitum corporis nulla mutatio vel valde

valde exigua ſe exerit, alia patens, vbi habitus externus magis manifeſto mutatus reperitur.

Th. XIV.

Ordinarie hocce malum ſenſibus patet, & facile cognoſci poteſt. Ægri enim floridum faciei inprimis, hinc & reliqui corporis, colorem immutatum exhibent, qui per ante dicta variare quidem ſolet, ſed facile deprehenditur reliquis ſimul phænomenis conſideratis, ſi vel maxime in quibusdam fallax rubedo ſe exſerat. Praeterea ſubtumidum laxumque reperitur corpus, vel totum, vel in hac illa parte, vt in facie, palpebris, pedibus &c. his, incremento maiori capiente malo, ſuccedit tumor oedematoſus, manifeſtus magis, qui primo per interualla tantum apparet, in pedibus imprimis, poſtmodum vero iuxta *Hippocrat. de Affect. cap. XX. t. 2. in eadem die alia parte maior & minor fit.* Et ſecundum *Aretaeum c. l ſtantibus pedes tibiaeque intumeſcunt, inclinata femora decumbentibus. Quod ſi decubitum mutauerint, tumor in illa decumbentes deuoluitur.* Tandem vero, vbi confirmatum fuerit malum, conſtans magis permanet, maxime in pedibus, aliquando & ſcroto, manibus & ventre. Laſſitudo artuum & corporis adeſt, & reſpiratio difficilis ac moleſta, inprimis ſi accliuia aſcendunt, quae duo latentem etiam cachexiam fere notant. Pulſus debilior, appetitus exiguus, grauitas poſt cibum, ac inflatio, vrina aquea fere, in peiori ſtatu tincta, tartarea, lixiuioſa inuenitur. Tacemus ſymptomata reliqua communia, vt & cauſas manifeſtas praegreſſas ſupra recenſitas, hic quoque ſignorum vicem obeuntes.

Theſ.

Th. XV.

Prognosin huius affectus ratione euentus *Hippocrates c.l.de Affectionibus t. 12. 13. format ita: siquidem curatus fuerit incboante morbo, sanus fiet. Sin minus, in hydropem transit morbus, & hominem corrumpit.* Idem confirmat Aretæus c. l. vbi, ab hac enascentes morbos ineuitabiles esse, asserit, hydropem aut phthisin aut colliquationem. Inprimis in chlorosi vel phthisis vel hydrops succedit, alias fere magis hydrops. Hanc vero rationem euentus non tam præiudicio quam sedulæ obseruationi atque experientiæ veterum debemus. Porro addit *Aretæus: Ætates huius morbi feraces sunt, inprimis senectus, neque mortem euadunt. Pueri & celeriter pati idonei sunt, & liberantur facilius. Florentes ætate haud ita valde huic malo patent, non tamen penitus facile sanantur.* His iungi debent circumstantiæ reliquæ a causis prægressis, aliisque. Ad sanitatem vero transitus fit emendata sanguinis & viscerum constitutione vitiosa. Euentu & modo euentus sic se habentibus, tempus eiusdem ex natura morbi & causarum patebit, chronicum enim malum existit, cum & secundum *Aretæum* c. l. longo tempore nascatur, & ab humoribus lentis viscidis dependeat, ad motum & mutationem subitam minus aptis.

Th. XVI.

Curatio cachexiæ in eo consistit, vt intemperies frigida & humida corrigatur, hæc vero corrigitur, si κρᾶσις sanguinis deiecta restituatur, hæc autem restituitur, si & seri quantitas nimia minuatur, qualitas vitiosa corrigatur, motus deficiens restauretur, & sanguinis seu partium sa-

lino ſulphurearum, volatilium, balſamicarum, defectus reſarciatur, vigor augeatur, motusque debitus reparetur. Quantitas ſeri nimia tollitur per euacuantia. In his non tam venæſectio habet locum, quæ ſanguinem ſimul minuit, niſi certis quibusdam caſibus, quam ſerum ſolum deplentia. Venæſectio enim vtilis tantum eſt, ſi obſtructio menſium, vel hæmorrhoidum, occaſionem dederit, & in principio tantum, vti & tunc cucurbitulæ ſcarificatæ loco eius admitti poſſunt. Atque ſic non ſolum euacuationis gratia, ſed, & potiſſimum, vt deriuatio, atque ordinarii fluxus ſuppreſſi excitatio, fiat inſtituitur.

Th. XVII.

Serum autem euacuant commode purgantia, modo prius ad eductionem aptum fuerit redditum minus fluxile. Purgantia hoc loco apta ſunt aloetica, balſamica ſimul exiſtentia, vt pilulæ tartareæ Schrœderi, aloephanginæ & ſimiles, rhabarbarum, ſenna, pilul. de gummatibus Sylvii & mercur. dulc. reliquis iunctus, quæ & euacuant & reſoluunt. Purgantia exhibentur etiam vtiliter in infuſis, quibus adduntur aperientia hepatica, ſplenetica, & antiſcorbutica. Seri viſcidi imminutionem iuuant, maxime ſi in primis viis abundet, emetica, imo motum, ob concuſſionem & compreſſionem plurimarum partium, ſimul promouent, & reliquas excretiones ſuppreſſas reſtituunt, modo reliqua conſentiant, vt tuto adhiberi poſſint. Tam quantitatem quam qualitatem & motum emendant etiam diaphoretica, ex quibus ſeligantur non nimis rarefacientia, ſed potius reſoluentia, media & fixiora,

vt

vt ex antimonio parata, bez. martial. iouiale, antimon. diaph. ſimiliaque alia. Eidem ſcopo debentur quoque diuretica, vel alcalia, vt ſal card. ben. cent. min. abſinth. tinct. tart. eſſ. antimoni, vel acida, vt ſpir. vitriol. ſalis, vel media, vt arc. duplic. Mynſ. arcan. tartari, tart. vitriolat. ſuccin. &c. In his ſelectus inſtitui debet pro lymphæ vitioſæ ratione, ne inconuenienter vel alcalibus vel acidis nimis inſiſtamus, vnde media etiam vniuerſaliorem habent vſum. Suo modo etiam hic adhiberi poſſunt fonticuli & veſicatoria, quia ſucceſſiue ſerum corrigunt & euacuant, non tamen ſine internorum remediorum vſu proſunt.

Th. XVIII.

Qualitatem & motum vtriusque humoris peccantem corrigunt maxime aperientia, quæ ſimul humorem ſeroſum excedentem ad euacuationem præparant. Talia ſunt inprimis abſorbentia, martialia, & alia, quæ tonum & robur partium ſimul reſtituunt, hinc ſalina explicita, tartarea maxime, vt & implicita, vegetabilia acria, amara, aromatica. Ex martialibus ſiccis frequentisſime in hoc malo frequentatur croc. martis varia ratione paratus, qui baſin puluerum cachecticorum conſtituit. Huius claſſis ſunt & alia abſorbentia lap. cancr. corall. mater. perl. ſpod. ſapphir. præp. cinnab. nat. Martialia liquida ſunt tinct. martis cydon. helleborat. pomat. abſinthiac. eſſ. vitrioli mart. Ludou. &c. Ex ſalinis aperientibus ſunt crem. & cryſt. tartar. hepat. Dresd. rubr. tart. vitriolat. arc. tartar. ſpir. tartar. ſpir. aper. Pen. ſalis ſtriatus, arcan. duplicat. &c. Ex vegetabilibus rad. ar. rhab. cichor. trif. fibr. aſpar. curcum. helen. herb. abſinth. cuſcut. ſcolopendr. ceterach. ſumit.

fumar.

fumar. cent. min. fl. bellid. cort. cappar. tamarisc. & reliqua hepatica, splenetica, vterina, antiscorbutica, aromata. Composita & præparata ex his habentur varia, ex siccis instar omnium sunt pulueres cachectici variorum autorum, facile variandi addendo pulueres & species aromaticas v. g. pulu. stom. Querc. spec. diagalang. arom. ros. diarrhod. Abb. dialacc. diatr. sandal. Ex liquidis mixtura antiscorb. elix. propr. antiscorb. tincturæ martiales mixtæ cum arc. tartar. mixt. antiscorb. & similibus, laudari possunt, vti & infusa & pilulas concinnare pro diuersitate subiectorum facile licet.

Th. XIX.

Sanguinis partium sulphurearum & volatilium balsamicarum augmentum fit partim per dicta, quæ enim serum minuunt & corrigunt, ea etiam his partibus actiuitatem & prouentum vberiorem conciliant, partim per ea, quæ sale volatili, inprimis oleoso, gaudent. Hinc, præter dicta aromatica, etiam olea ætherea destillata superius recensitis pulueribus & mixturis, refracta tamen quantitate, miscentur vtiliter, sic ol. caryoph. lign. sassafr. citr. mac. cinnam. ac similia, & gratiam & virtutem conciliant reliquis aperientibus.

Th. XX.

Ante dicta omnia, dum humores ad motum aptos reddunt, hunc simul promouent. Iuuant tamen eundem tam frictiones, lentos humores agitando, subtiliores reddendo, & poros aperiendo, quam fasciationes secundum

vaso-

vaſorum lymphaticorum ductum inſtitutæ, quæ non ſolum propellunt ſerum ſubſiſtens, & in circulum redigunt, ſed etiam faciunt, vt fibrillæ, ante nimis tenſæ ac laxatæ, robur & ſtricturam conuenientem poſſint recipere. Eundem in finem applicantur cucurbitulæ ſiccæ, ſtagnanti ſero impulſum & liberas vias præbentes. Nec fotus ex ſulphure, nitro, herbis conuenientibus, in quibus & geranium Robertianum habet locum, ſunt de nihilo, vti & thermæ aptæ ad hanc rem deprehenduntur, ne de emplaſtro diaphoretico Mynſ. de ran. Vigon. cum mercur. aliisque dicamus.

Th. XXI.

In Diæta aeris frigida & humida conſtitutio vitetur, &, ſi habitaculum in tali loco ſit exſtructum, ignis ope corrigatur, vel mutetur. Cibus & potus ſit bonæ concoctionis, & vſus eius moderatus. Panis ſit leuis & bene fermentatus. Carnes aſſatæ præferendæ elixis. Aqua eligatur fontana, quæ notam habeat leuitatis & dulcedinis corporis viſcera permeantis. Zythum ſit bene fermentatum, nec feculentum, nec ad acorem inclinans. Vinum bonæ notæ vtile maxime eſt in hoc malo, cum coctionem nil magis adiuuare, alimenta intimius reſoluere, cruditates emendare, ſpiritus & balſamicas ſanguinis partes augere & roborare poſſit. Omnis vero repletio ſtudioſe vitanda, quæ lerna plurimorum malorum eſt. Somnus non terminos egrediatur, ſed tamdiu tantum capiatur, donec vires refocillatas ſentias. Vigiliæ protractæ abſint, præſertim in literatis, cum ſpiritus inde nimis debilitentur.

Motus proportionatus cachecticis maxime commendandus, tanquam eorum optima medicina. Excernenda & retinenda probe attendantur. Tranſpiratio inſenſibilis bene procedat, aluus ſit aperta, vrina ſufficienti quantitate exeat. Hæmorrhoidum & menſium fluxus in vigore ſeruentur. Venus ſit parcior. Animi affectus ſpiritus deprimentes, vt cura, moeror, triſtitia, abſint, vt ſanitatis infenſiſſimi hoſtes, tranquillus vero & hilaris animus cordi habeatur. DEO T. O M. pro conceſſis viribus ſit laus, honor & gloria.

FINIS.

LAudo tuos auſus, SCHWARZI doctiſſime, claros,
Dignoſque ingenii diuitis elogio.
Horrendam nuper tabem curare ſtudebas,
Corporis inflati cura ſecunda tua eſt.
Scilicet excedens in corpore tollere præſtat:

Defi-

Deficiens itidem ſic reparare iuuat.
Nomine vtroque Tibi gratamur pectore læto,
In medio laus eſt gloria prima Tibi.
Inde Tuis meritis iam præmia digna parata:
Succeſſus fauſtos conferat ipſe DEVS!

Gratulationis fauſtiſſimæ ergo ſcrib. amica manus.

GEORGIVS WOLFFGANGVS WEDELIVS.

MAgnus apud Danaos Podalirius arte medendi
Extitit, ac ejus fama perennis erit.

Aſt

Aſt qui diſcit eam, velut hac ætate docetur,
Multo nobilius nomen ad aſtra feret.
Hoc nunc conſequeris feliciter omine fauſto;
Lætabundus huic gaudia jungo mea.

JO. HADRIANVS SLEVOGTIVS
Med. D, & P. P.

CORporis expugnas ſqualorem, & torpida membra
Reſtituis, quibus & redditur arte color.
Hoc monſtras, mentis Te diſcuſſiſſe tenebras,
Et magnis auctum viribus ingenii.
Mox igitur merito cinget Tua tempora fulgens
Purpura, quam doctis noſter Apollo dedit.

Fauſtæ gratulationis & affectus cauſa ſcripſit

PRÆSES.

Q. D. B. V.

FACULTATIS MEDICÆ DECANI

JO. HADRIANI SLEVOGTII

HEREDITARII in Oberroßla

MED. DOCT. ANAT. CHIR. ET BOT. P. P.

ITEMQVE MED. DUC. PROVINC.

INVITATIO SOLENNIS

AD

Dissertationem Inauguralem

DE

CACHEXIA

CUM PROLUSIONE

DE

OLFACTU EXSPIRANTIUM.

JENÆ,

LITERIS KREBSIANIS.

Q. D. B. V.

FACULTATIS MEDICÆ DECANUS

B. L. B. S. P. D.

CACHEXIA, cujus causa pro summis in Medicina honoribus consequendis, horum dignissimus clarissimusque Candidatus

FRIDERICUS Schwarz/
Leutkircha Suevus,

inauguralem dissertationem propediem publicæ eruditorum censuræ exponet, nobis, ad solennem istum actum aptam invitationem meditandibus, multas quidem ipsi themati respondentes, ideoque benevolo Lectori haud displicituras materias *præludendi* commendavit; sed seposuimus istas; etsi partim elaborationi digniores, partim lectu magis gratæ viderentur: quia denuo occasionem nobis offerri putavimus, *olfactus* naturam (cujus explicationem distinctis vicibus & subcisivis horis tradere, in nos recepimus) per notabile status præter naturam exemplum, cui cacochymia, fœcunda cachexiæ genitrix, ansam dedit, illustrandi.

Postquam enim, ante paucos dies, quæstionem, de *inspirationis necessitate*, ut per eam odorabilia effluvia olfactus organo recte applicentur, ventilaverimus, in præsentia aliam, isti cognatam, num. scil. *exspiratio etiam odoratui inserviat?* examini subjicere animus est.

Ubi statim nobis opponi deprehendimus, per sapientissimum summi Opificis institutum cautum esse, ne *exspirantes* odoremus. Cum enim aer, toties reciprocandus, semper olentibus particulis scateat, fore, ut olfactus organum ab iis, indesinenter intrantibus & exeuntibus, nimis fatigaretur, brevique inutile evaderet, si omnibus istis indifferenter suæ præsentiæ notas ipsi affricare liceret. Plerasque igitur earum haud sentitas præterire; nisi confertiori agmine in nasum irruperint, vel per inspirationem allectæ, & subinde data opera attractæ fuerint.

Enimvero, licet per sobriam hanc meditationem inspirationis utili-

utilitatem, magis declarari, non inficiemur, per eandem tamen exſpirationis ad olfaciendum aptitudini quicquam derogari non videmus.

Quapropter ad alios ſcrupulos, quos Honoratus Fabri, Phyſicæ tom. 2, tract. 4, propoſ. 89, p. 340, & de Homine libr. 2, prop. 56, § 6, nobis injecit, eximendos, veniendum eſt. Vt enim vir doctiſſimus rationem, cur ex corruptis viſceribus tetrum halitum efflantes, non ipſi æque, ac adſtantes, fœtorem iſtum ſentiant, reddat, per peculiarem organi olfactus diſpoſitionem, & experimentum aliquod, exſpirantes ab olfaciendi onere immunes facere conatur. Deſcribit enim in membrana narium *cavernulas & foſſulas valvulasque*, ita conſtructas, ut ſua oſtiola inſpirato aeri obvertant, & ſic effluvia, cum eo adventantia, ibi ſubſiſtere poſſint, cum exſpirato autem ſuper illa ſine ſenſu elabantur. Deinde rem per tubulum, naſo profundius intruſum, probari poſſe putat, cum, ſi huic ſuffitus immittatur, is minime percipiatur.

Ad quæ reſpondemus, nos in adducta membranæ narium deſcriptione, nil niſi teſtimonium exercitati Profectoris deſiderare; cum nec Julio Caſſerio, nec Nic. Stenoni, nec Caſp. Bartholino, perſpicacibus iſtis naſi perſcrutatoribus, iſtiusmodi, opinioni Fabri favens, textura apparuerit, nec luſcis noſtris oculis ejus inventionem promittere queamus: quæ tamen adeo quæſtioni ſatisfactura eſſet, ut obſcuro iſto & infido, per *tubulum* inſtituendo, exprimento haud indigeremus. Quod ſi enim is, ſua crasſitie narem implens, profundius verſus fauces intruderetur, tunc ſuffitus, intacta nervoſa naſi tunica, ad pulmones rueret; ſi vero propius ad os cribroſum dirigeretur, tunc effluvia quieta ibi ſubſiſterent: quia aer, in inſpirationis actu, ampliatum thoracem ingreſſurus, cum minus patulum meatum per tubum inveniat, per apertam narem in fauces properaret, & inde iterum, a conſtricto, pectore in exſpiratione extruſus, per eandem viam egrederetur, ut hoc pacto nihil eſſet, quod moleculas, in cannula hærentes, fibris membranæ imprimeret, ut ſentirentur.

Remotis hiſce, quæſtioni noſtræ affirmantem reſponſionem recuſantibus, obſtaculis, adhuc gravisſimum nobis ſuperandum reſtat: dum Phyſiologos, extra controverſiam, exquiſitisſimos, *olfactum exſpirando* fieri ſtrenue negantes, & inſpiratas moleculas non æque in inferiori naſi regione, ſed potius circa oſſa turbinata percipi, ſtatuentes legimus.

Cum igitur, abſque prægnantibus rationibus, huic ſententiæ,

dudum vim canonis adeptæ, temere obloqui non liceat, propterea id agendum est, ut, si quippiam ex physicis tentaminibus & practicis observationibus emerserit, quod contradictionem inferre visum fuerit, id per decentem explicationem probato dogmati accommodetur: si vero aliquod phænomenon, pertinacius emendationi restitans, discessum a recepta doctrina fecerit, tunc id per vulgatam paroemiam: *nullam regulam sine exceptione* inveniri, excusandum, simulque ad naturæ morem provocandum est. Alit enim ea haud raro monstra, soletque frequenter accidere, ut, occasione sic ferente, ad insolita conamina se moveri patiatur. Hinc si per figuram organi alicujus, mox a nativitate animalis, vel postmodum per varios casus vitiatum, suum opus perficere impeditur, id vel per aliud exsequitur, vel novam & in usitatam texturam consuetæ machinæ affingit, ut quadantenus suum finem obtinere valeat. Quem enim latet, menses per asperam arteriam, oesophagum, mammas, aliaque insueta loca egeri, si per uterum non licet: deinde materiam febrilem ad glandulas pone aures, vel sub axillas, & in inguina deponi, quæ per vias modosque, perfectæ crisi alias familiares, sudores scil. hæmorrhagias narium, renes & vesicam &c. egeri nequibat. Sic ubi actio in statu naturali per gemella viscera, renes v. g. testes, mammas præstari solet, tunc magnitudinem unius auctam deprehendimus, si alterum vel defecerit prorsus, vel ad agendum inhabile evaserit.

Haud absimili ratione, præter naturæ ordinem contingere posse, concludendum est, si, per vitiosum sublimioris nasi statum, odoratus organon perierit, ut defectus per tunicam, inferiora loca succingentem, compensaretur, eademque odorabilibus effluviis recipiendis idonea evaderet.

De possibilitate celeberrimi Bohnii testimonium, & mox recitanda historia dubitare vetant. Illud Circuli anat. phys. Prog. 25, p. 39, habet, ubi ozæna, profundius hærente, laborantes odores percipere dicuntur, in quibus tamen tunicam papillosam, spongiosis ossibus supertensam, & pag. 392, cum Eustachio Rudio & Vallesio primarium odoratus instrumentum appellatam, ab ulcere corruptam esse, hujus situs docet. Idem in fœmina rustica, giganteæ staturæ, observare datum fuit. Laboraverat hæc per aliquot annos ulcere nasi, quod vomerem, cum ipsi annexis ossibus turbinatis absumserat, ut, salvis manentibus cartilaginibus, globulum, alas & columnam

lumnam fulcientibus, ibi nares quidem, adhuc decenter comparatas, intus autem, remoto pariete intergerino, unam ſpatioſam cavitatem cernere daretur, cujus inferior regio integra videbatur, ſuperior autem, ad os cribroſum usque, horridam ſpeluncam, verſicolore & fœtente ſitu obductam exhibebat, quam Balneator Dornburgenſis Büttnerus, per unum alterumque menſem, modo aqua viridi Hartmanni, modo ſolutione lapidis medicamentoſi mundam reddere fruſtra laboraverat, donec, præter interna mercurialia & antimoniata, a nobis data, balſamum de Capaiba, oleo Carpathico roboratum, & pulverem, ex ſcordio, ſanicula, rad. Ariſtol. rot. & fraxinellæ compoſitum, applicaret. In hac ægra, ſequentia, ad ſcopum noſtrum facientia, nos obſervaſſe recordamur; quod ſcil. de moleſto fœtore & dolore frontis conquerens, quoties ſuaveolens quippiam naſo admoveret, ſe bonum quidem hujus odorem, mox vero antiquum fœtorem iterum percipere, & attentionem adhibere juſſa, hunc in exſpiratione, illumque in inſpiratione, per apertum os autem ſpiritum ducens & emittens, neutrum animadvertere diceret.

Ex quibus phænomenis concludimus: (1) aſſertum Th. Bartholini, An. ref. p. 617 extans: *proceſſus mammillares vera olfactus organa, non vero naſum, aut ejus tunicam eſſe*, hic labaſcere: cum in hac ægra eorum tubulos, antea trans ethmoides in narium cavitatem & tunicam protenſos, penitus per putrilaginem conſumtos fuiſſe, nemo forſan dubitet.

(2) Aerem, per reſpirationem naſo impulſum, & inde iterum extruſum, ita olfactui velificari, ut ſine eo, tanquam vehiculo & manu, effluvia membranæ narium quaſi apprimente, nulla horum perceptio contingat.

(3) Non ſolam membranam papilloſam, tubuloſis oſſiculis circumjectam, ſed etiam inferiorem naſi regionem ſepientem, odoratus inſtrumentum præbere poſſe. Habet enim media, huic functioni ſervientia, copioſas ſcil. non ſolum arteriolas, a Vieuſſens obſervatas, quæ in multas glandulas humidum, talismodi parti, ad detinendas particulas ſalino ſulphureas, neceſſarium, advehunt; ſed etiam a quinto nervorum pari ramulos, per eam diſtributos, quibus ad ſolum ſimplicem tactum minime opus habet. Horum, (quod obiter notamus) numerum & molem in canibus, ovibus, & vitulis ſpectabilem, ſæpius mirati ſumus, cui bono tam multi at-

que craſſi nervi extremo eorum naſo implantati ſint; cujus ſubſtantiam peculiarem ſi ſimul attentis oculis conſideramus, certe multa ibi, ab Anatomicis nondum explicata, deprehendimus, ex quibus forſan brutorum notabilis, & humanam longe ſuperans olfaciendi potentia, a Phyſiologis eruetur.

(4.) In ſola parte inferiori naſi ſuaveolentes æque particulas, exterius adventantes, ac fœtidas, ab aere, ex pulmone retrogrado, & ſuper ulcera fluente arreptas, ſedem ſibi fixiſſe, nullum vero amplius in ſuperiori contignatione odoratui locum remanſiſſe: cum, ſi ibidem fibræ ſenſiles integræ ſuperfuiſſent, ad eas, ſine dubio, in inſpiratione ex inferioribus ulcuſculis inſuaves moleculæ aſcendiſſent.

(5.) Exſpirationem etiam olfactui ſi non ſemper, aliquando tamen inſervire.

Hoc cognito, ad ſcopum noſtrum primarium deſcendimus. Editus eſt NOSTER hanc in lucem, A. M DC LXXXIIX die 17 Octobris, in urbe imperiali, cui nomen Leutkircha, in illo Sueviæ tractu, quem Algojam, vel alii potius Almangojam (ab Alemannis, regionem hucusque ſuam extendibus, forſitan dictum) nominant, Patre, honeſtisſimo viro, JOANNE JACOBO SCHWARZIO, mercaturam ibidem faciente, & Matre ANNA CATHARINA, ex SANDERGERIANA, inclyta, in percelebri Suevorum munimento ac urbe imperiali Ulma, ſtirpe orta. Optimorum Parentum horum unica cura fuit, ut a teneris unguiculis ad pietatis & virtutum exercitia duces filio exiſterent. Sed cum Parenti loci conditio alendæ amplæ familiæ non ſufficeret, patriam cum urbe Auguſta, emporio Suevicæ gentis celeberrimo, permutavit. Ubi noſter, ſtatim Gymnaſio, quod ibi floret, Annæano concreditus, prima quidem linguæ rudimenta hauſit, ſed brevi poſtmodum tempore interjecto, cum ob cruris ſiniſtri fracturam, ex lapſu contractam, ludum amplius viſitare prohiberetur, curæ domeſticorum Præceptorum per plures annos traditus eſt, ſimulque, patre manuducente, mercaturæ operam impendere cœpit. Hoc vero A. M DCC III die 12 Decembris, ultimo nempe die obſeſſionis illius fatalis, a Gallis & Bavaris tentatæ, e vivorum numero erepto, mercaturæ, ob infirmum corpus, valedixit, & ſuadente Matre, Palladis caſtra iterum repetiit. Quod ut feliciter eveniret, duces ſibi elegit viros omni pietatis & eruditionis

gene-

genere abſolutos, DN. M. RESCHIVM, & DN. M. PHIL. IAC. CROPHIVM, Gymnaſii Rectorem & Bibliothecæ patriæ præfectum, quorum ſingularem dexteritatem & induſtriam gratiſſima mente recolit. Matre tandem A. MDCCVI defuncta, Patronorum ſuaſu, Ratisbonam ſe contulit. Ubi a DN. IO. THEOPHILO THILLIO, Paſtore ad D. OSWALDIUM vigilantisſimo, hoſpitio perhumaniter exceptus, Gymnaſio, quod vocant, Poetico, tum temporis Rectore DN. IO. HEINRICO URSINO, nomen dedit, in quo per quadriennium commoratus, ſolidiſſima informatione clarisſimorum virorum DN. IO. LEONHARDI Keyſers / DN. M. CHRISTOPH. ERDMANNI Pfaffreuters / & DN. M. CHRISTOPHORI ZIPPELII, nunc Gymnaſii meritisſimi Rectoris (cujus ſingularem favorem atque amorem, non ſolum per privatisſimam in humanioribus litteris inſtructionem, ſed per ſuauisſimum etiam epiſtolarum commercium teſtatum, publicis extollit laudibus) uſus. In Philoſophicis ſimul & Theologicis ſalutares doctrinas DN. MAYERI & M. IOH. CONR. WACKII, Profeſſ. ibidem meritisſimorum ſecutus eſt. Poſitis ſic fundamentis, Muſas Ratisbonenſes reliquit, &, Tutorum ſuaſu, Academiam Jenenſem petiit, a cujus magnifico Pro-Rectore, DN. MICHAELE FOERTSCHIO, S. S. Theol. Prof. Prim. & celeberrimo, A. MDCCX die 1 Octobr. in album ſtudioſorum relatus eſt, idque potisſimum egit, ut animum, a teneris annis, naturali quodam inſtinctu, ad ſtudium Medicum inclinantem, per variarum Philoſophiæ diſciplinarum explicationes BOYIANAS, & Mathematicas EHRENBERGERIANAS præpararet, in Phyſicis autem potiſſimum ſolidisſima præcepta DN. GEORGII ALBERTI HAMBERGERI, Matheſeos & Phyſ. Profeſſoris celeberrimi, amplecteretur. Hinc ad ſcopum propius accedens, ex Medicorum ordine magnificum DD. GEORGIUM WOLFFGANGVM WEDELIVM, Hæredit. in Schwarza, Med. Doct. & P. P. famigeratisſimum, Com. Palat. Cæſar. Serenisſimorum Saxoniæ Ducum Conſiliar. & Archiatrum gravisſimum, publice Pathologiam, Semioticam, Methodum medendi, Chirurgiam & Materiam Medicam, Pharmaciam item exotericam & acromaticam, artemque præſcribendi formulas; hinc privatim non ſolum in Curſu annuo, potiores Medicinæ partes, ſed ſeorſim ſuo tempore Chimiam, Inſtitutiones, morbos infimi ventris, Pathologiam, Semioticam, Therapeuticam, & facultates medicamentorum ſimpli-

pli-

plicium solidisſime exponentem audivit, magnumque inſuper fructum ex inſtructisſimæ Bibliothecæ demonſtratione ſibi comparavit. Multa quoque ſe egregiis DD. Io. ADOLPHI WEDELII, Phil. & Med. D. P. P. ordinar. celeberrimi, Medicique Provincialis Saxo-Vinarienſis, ac civitatis Jenenſis Phyſici meritisſimi dogmatibus debere, gratus fatetur. Siquidem ipſius,privatim in Theoremata medica venerandi Parentis commentantis, hinc in publicis de febribus & mulierum, capitis,pectoris, & infimi ventris morbis agentis ſedulus auditor, attentusque Sectionis cadaveris maſculini ſpectator fuit. Nec ſilentio prætereundos putavit viros, optime de ſuis ſtudiis meritos, DD.Jo. JAC. FICKIVM, Facult. Med. P. P. extraord. & Archiatrum Sereniſſimi Ducis Vinarienſis dignisſimum, & DD. HERMANNVM FRID. TEICHMEYERUM, illuſtris Comitis ab Hazfeld Archiatrum & Practicum felicisſimum, cum illius ſingularum fidem & eruditionem in prælectione Inſtit. med. Boerhavenii abunde expertus ſit, hujus vero ſinceritatem atque induſtriam,tam in Phyſicis quam Medicis,per biennium probatam, grata ad huc mente agnoſcat.

Me quoque bis corpora fœminina in publico theatro ſecare, chirurgicasque operationes & plantas, qua par eſt fidelitate demonſtrare vidit.

Ne vero ſuos Præceptores ac Commilitones parti in ſtudiis profectus laterent, crebro non ſolum opponentis vices ſubiit, ſed ex Praxi etiam Clinica Wedeliana materiam *de Phthiſi* maſcule & cum applauſu defendit. Idem ipſum facturum pollicemur, cum, ſub umbone ſupra laudati DD. Jo. ADOLPHI WEDELII, optime elaboratam diſſertationem *de Cachexia*, d. XVIII Maii, ſobriæ eruditorum ventilationi expoſiturus, cathedram conſcendet, quam Collegium Medicum ipſi, poſt exantlata privata examina, lubens aperuit.

Addet honorifica magnifici Prorectoris, Aulæque & Academiæ Procerum, nec non Hoſpitum honoratiorum & florentisſimæ literatæ Juventutis præſentia animum diſputanti, ſplendoremque actus inauguralis inſigniorem reddet: quapropter, ut eam gratioſe & benevole ipſi concedere velint, eſt quod, Facultatis nomine, officioſe & decenter peto. Sub ſigill. Fac. d. 12 Maji, M DCC XV.

(L. S.)